

THEATRVM VERITATIS, ET IVSTITIAE

SIVE
DECISIVI DISCVRSVS

Ad veritatem editi, in forensibus controuersijs, Canonicis, & Ciuilibus,
in quibus, in Vrbe Aduocatus, pro vna partium scripsit,
vel consultus respondit

IO. BAPTISTA DE LVCA
VENVSINVS.

*Per materias, seu titulos distincti, iuxta proximam indicens
post praefationem.*

LIBER NONVS

PAR. I.
DE TESTAMENTIS, CODICILLIS, ET VLTIMIS VOLVNTATIBVS.

PAR. II.
DE HÆREDE, ET HÆREDITATE.

PAR. III.
DE LEGITIMA, TREBELLIANICA, ET ALIIS DETRACTIONIBVS.



J. Clouet fecit

ROMAE,


Typis Heredum Corbelletti. M. DC. LXXII.

SUPERIORUM PERMISSU.

SENATIBVS.
CONSILIIIS.
ET ROTIS ITALIAE
INTER VRBEM, ET MONTES.



IO. BAPTISTA DE LVCA
FELICITATEM.



Estamentorum vsum, legis benignitas induxit, vt nostræ voluntatis, remaneat perenne testimonium; Meritò igitur, istud mei THEATRI VERITATIS, & IVSTITIÆ volumen, in quo de TESTAMENTIS agitur, Vobis offero, vt meam voluntatem ergà Vestram nimiam existimationem, meumque obsequium, ac debitum, quibus vos prosequor, ità Orbi testata faciam, eorumque hoc sit perpetuum monumentum.

DE TESTAMENTIS

DISCURSVS PRIMVS.

ROMANA TESTAMENTI DE CARAFIS

P R O

HÆREDITATE TESTAMENTARIA CARDINALIS PETRI ALOYSII CARAFÆ,

Discursus pro veritate.

De Testamento nuncupatiuō nuncupatione implicita, per relationem ad
Schedulam in certo loco existentem; iuxta formam traditam per
Bart. in l. si ita scripsero ff. de condit. & demonstr.; An, &
quando valeat; Et quid requiratur ad validitatem.

S V M M A R I V M.

- 1 **F** Acti series.
- 2 **D**e indulto Cardinalium testandi remissuē.
- 3 Refertur doctrina Bart. super forma testamenti nuncupatiui nuncupatione implicita per relationem ad schedulam.
- 4 Referuntur volentes dictam Bart. doctrinam procedere in legatis, non autem in institutione hæredis.
- 5 In contrarium quod procedat indistincte, etiam in institutione hæredis.
- 6 Declarantur tenentes primam.
- 7 Sufficit testamentum fieri iuxta leges, vel mores loci, etiam quoad forenses, & bona extra territorium.
- 8 De differentia inter institutionem, & legatam, et quando ista possint valere, si institutio est nulla.
- 9 Eo quibus dicatur consistere de certa identitate schedulae.
- 10 An valeat hæc testandi formula per relationem ad schedulam adhibita non scriptam, sed scribendam.
- 11 De facultate testandi an competat de iure natura, vel positivo, & quam potestatem in hoc habeat Princeps, remissuē.

D I S C. I.



Infirmatus ad mortem Cardinalis Petrus Aloysius Carafa in Conclavi tento Sede vacante per mortem Innoc. X. (in quo inter summo Pontificatu dignos reputabatur), coram Notario, & septem qualificatissimis testibus, professus est se testari iuxta schedulam propria manu conscriptam, & in quodam specificato eius domus scrinio existentem, quam sequuta morte, in dicto scrinio repperam, nulla dubitatio cadebat esse propria manu testatoris satis cognita, absque vitio, vel suspitione; Hoc autem non obstante, venientes ab intestato, ex consilio aliquorū Aduocatorū in patria, intendebant huiusmodi testamenti validitatem impugnare; Cuius contrarium ego dicti Cardinalis intimus, & obsequentissimus, eiusque coniunctorum ab intestato venientium beneuolus, pro veritate consului, atque ad eorumdem instantiam discursum edidi, vt communicaretur dictis Consulentibus contrarium, qui eo viso acquieuerunt.

Illud autem videbatur solidum, ac breue fundamentum, quod vbi etiam de stricto iuris positiui rigore, super hu-